LUGD. BAT. BIBL.

edit. Vossii epistolarum n°. CXCVI.

S.P. Quod nobilissime, amplissimeque Huygeni, tu quoque sic
obitum carissimi pignoris, meumque hunc dolorem doles: amice
facis, et liquido ostendis, neutiquam me in eo falli,
quod te semper amantissimum mei familiaeque meae judicavi.
Nimirum pro affectu hoc tuo non potes non acerbum
hunc mihi casum judicare. Sane periculum fortasse esset,
ne animus de gradu totus deijceretur, nisi partim tui et
aliorum praestantium virorum alloquio epistolari paullatim
spiritum et vires reciperem: partim sponte mihi etiam
ob oculos saepius ponerem incertum vitae humanae, et alia
quibus aegras mentes in casibus cuiuscemodi solari ipse
antea soleo. In his familiam ducit voluntas Dei, quae
Christianis nobis unam pene paginam facere debet. Nam
ut quanto nebula ac caligo magis attollitur, tanto
aër proximus fit purior clariorque; sic comperio mentem
etiam nostram eo reddi sereniorem, quo amplius ele-
vatur ad Dei providentiam, quae nihil nobis provide
immittit, aut permittit. Illustrissimo et invicti-
ssimo Arausionensium principi aeternum pro ea libera-
litate debitor sum futurus. Sed si cogitem, per quem
mihi conciliatus sit maximus heros, ingratissimus sim
nisi hoc ita illi tribuam, ut non et tibi beneficij
partem transscribam. Nec nunc praeter cuiusmodi verba
habeo, quod rependam. Enitar tamen sedulo, ne vel
munificentiae Arausionensium principem; vel te,
nobilissime, et amicissime Huygeni, commendationis
tuae possit poenitere. Hunc animum nostrum, qui prima
occasione se exeret, magnum censebis, si eum aestimes
non pro viribus eius, quae exiguae, sed pro hu-
manitate tua, quae summa est.

Amplissimum optimumque affinem tuum David de Wilhem,
salvere si jusseris, gratissimum erit.

Amstelodami. CIↃ IↃ CXXXIII. XV Mart.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/885

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/885

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/885

...ſsimo Amplissimoque viro,
...tino Hugenio,
...Zulichemi Domino,
...Arausio a Consiliis
...ecretis.

...gae Comitis.